



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

De Vnione Congregationis Casalisbenedicti, in Francia, cum congregatione  
Mo[n]tiscasini, aliàs S. Iustinæ de Padua.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

DE VNIONE CON-  
GREGATIONIS CASALISBE-  
nedicti, in Francia, cum  
congregatione Mōtiscaf-  
ni, aliàs S. Iustinæ de Padua.

*Huius unionis litera tales sunt.*

**I**ERONYMVS de Placentia,  
humilis Præfident Congrega-  
tionis Casinensis, aliàs Sanctæ  
Iustinæ de Padua, ceterique dif-  
finitores Capituli generalis, Re-  
uerendissimis in Christo Patribus, Præfiden-  
ti, Diffinitoribus, Abbatibus, Prioribus, Mo-  
nachis, Nouitiis, & Conuersis Congregatio-  
nis Casalisbenedicti, in Domino Amantissi-  
mis. Cum nuper à dilecto nobis filio Cæsario  
Grassensi, nostri Lirinensis Monasterii Præla-  
to acceperimus, quanta in vobis vitæ sancti-  
tas, quantoque summo cum honore nostram  
congregationem (à qua tanquam filii à pa-  
rente, hac institutionum nostrarum exfluxisse,  
palam cunctis liberè profitemini) prosequuti  
semper fueritis: summæ non ingratitude  
iure optimo notandos fore arbitraremur: si  
nostri quoq; animi in vos propensiori al. quo  
peculiari augmento non demonstraremus.

I Vos



Vos itaque paterno affectu complexi, in partem bonorum omnium spiritualium, quam nostra congregatione, Dei benignitate fructus & in posterum fient, libenter recipimus: Congregationem vestram, quasi huius ipsius nostrae germanae sororem in Christo Iesu agnoscentes. Nostra quoque monasteria omnibus ubicunque locorum fuerint, vestris semper commodis referata ac paratissima esse volumus. Praecipientes omnibus Praelatis & Monachis nostris, praesentibus & futuris: ut nunquamque vestrum, si quando ad ipsorum monasteria peruenire contigerit, ea semper humanitate recipiant, qua & par est inter se à verè Monachis accipi, & qua vos ipsos non semel plerisque in nostratibus in Gallia accepisse cognouimus. In quorum omnium fides has nostras praesentes literas fieri, nostris soliti sigilli appensione muniri iussimus. Datum in Monasterio nostro Sancti Benedicti de Pandalione, Diocesis Mantuanae, relictis ibidem Capitulo nostro generali, Quarto Cal. Maij 1559.

*Andreas de Asula, Scriba Capituli*

*EVOLVTIS* inde quadraginta annis (anno scilicet Christi 1599.) praefati Reverendi Patres, rursum alias fraternae vobis literas nobis largiti sunt. Quarum reperitur exemplar.



*Ex Decreto Capituli generalis Congregationis  
Casinensis pro Congregatione  
Casalibenedicti.*

**N**OS D. Michael à Venetiis hu-  
milis Præsidentis Congregationis  
Casinensis, alià S. I. Istinæ de  
Padua, cæterique diffinitores  
Capituli generalis, Reuerendis  
in Christo Patribus Visitatori, Diffinitoribus,  
Abbatibus, Prioribus, Monachis, Nouitiis, &  
Conuersis Congregationis Casalibenedi-  
cti, in Domino amantissimis. **R**ETVLIT no-  
bis dilectus filius noster R. D. Hilarius ab  
Antipoli, Abbas Monasterii nostri Sancti Ho-  
norati, sacrae insulae Lerinensis ( qui apud vos  
per triennium degit, à vobis cum omni hu-  
manitate & charitate receptus) quàm strenuè  
regularis obseruantia apud vos vigeat, & mo-  
nastica disciplina in dies augeatur: Quippe  
qui ita se vobis deuinctum faretur, vt tota  
congregatio nostra ex hoc vobis deuinctior  
reddatur. Ex quo fit, vt si quando quempiam  
vestrum ad aliquod nostrorum Monasterio-  
rum accedere contigerit, tãquam filium no-  
strum charissimum nos recepturos sciatis:  
Cum vestram totam congregationem, tan-  
quam filiam aut sororem charissimam pio a-  
more complectamur, & vobis semper con-  
iunctos fore tam in spiritualibus, quam tem-  
poralib. bonis semper gaudeamus: maximè  
quia iuxta diploma Apostolicū piæ memoriæ  
Leonis decimi, vestra ipsam cōgregationem



ex nostra lac fluxisse, ac institutam fuisse plurimum letamur: Vosque omnibus nostris privilegiis, immunitatibus & libertatibus eodem diplomate gaudere admodum gratulamur: Assidueque in Christi amore semper nos vobiscum coniunctos diu vivere peroptamus. Quo fit, ut quicquid in nobis est nostrum esse credatis: ita ut in nobis omnibus impleatur illud ex actibus Apostolorum, credentium erat cor unum & anima una. Sic Casinensis & Casalis benedicti congregatione eodem semper remaneat & existat. Volumus insuper omnia monasteria nostra communitatibus vestris & vobis esse aperta & paratissima: maxime cum secum vestras testimoniales ad nos detulerint: Præcipientes omnibus Prælatibus & monachis nostris præsentibus & futuris quemlibet vestrum in dictis nostris Monasteriis, tanquam unum ex nostris ipsis, cum omni humanitate tractent & recipiant: sicut vos dictum Reuerendum nostrum, & plures alios ex nostris in Galliam profectos accepisse audiimus. IN quorum fidem omnia has nostras præsentis litteras fieri iussimus: nostrique soliti sigilli appensione munimus.

DATUM in monasterio nostro Sanctæ Marie de Pratolea, Diocœsis Paduanæ, residente eodem nostro Capitulo generali, die decima octava mensis Aprilis. Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo.



COLLATIO facta est cum originali in  
pergameno scripto, & signato, Victorinus A-  
uersanus, Scriba Capituli, sigilloque chordulis  
sericeis rubri coloris appenso, & pixide ferri  
albi concluso, per me fratrem Iacobum du  
BREVL, Monachum, & Scribam Capituli  
nostri Sancti Germani à pratis, Par. die deci-  
ma nona mensis Iunii, anni 1599.

I. DV BREVL.

DE STATVTORVM  
cognitione & obseruatione.

**L**EGES & constitutiones dant for-  
mam futuris negotiis, ait Greg.  
Papa 9. in de const. c. ult.  
Plato in legibus. Equus futu-  
rus iudex legum constitutiones  
ante omnia discat. & mente firmiter teneat.

D. Bernardus, tractatu, de præcepto, & di-  
spensatione, cap. 7. Super fratrum transgressi-  
ones, non super patrum traditiones consti-  
tuitur, qui Abbas eligitur, mandatorum, cul-  
tor, & vltor vitiorum.

Q. Mutius aduersus Seruium Sulpicium  
illo vsus est sermone,  
Turpe est Patrio nobili viro ius in quo

Legum &  
constitutio-  
num fra-  
ctus.

Statuta seu  
constit. sciat  
superior at-  
que obser-  
uet.

Pariterque  
alii.



verfatur ignorare.

At non minus turpe monacho statuta sui ordinis & congregationis ( ad quæ per professionem & votum obedientiæ alstringuntur ) nescire.

Et lib. 6. legum Vvisigothorum, titulo 4. cap. 5. Non est minoris noxæ legum statuta nescire, quam sciendo prava committere.

Dist. 38. Nulli Sacerdotum liceat suos canones ignorare: nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obviare.

*Statuta ligant.*

Statuta per quoscunque ordinarios prelatos ligant: nec potest ignorantia præterire, postquam publicè publicata fuerint. infra de rescript.

Parum est condere iura, nisi sint qui ea executioni debite demandent. infra de sta. reg. unico. 9. Et quoniam. lib. 6.

D. Greg. lib. 2. Registri, cap. 91. seu epistola 52. Ad Ioannem, Episcopum Constantinopolitanum. Si canones non custoditis, & mandatorum vultis statuta conuellere, non cognoscite qui estis.

Lib. 6. Capitularis Regum, cap. 148. Insuper repellitur præsumptio illius, qui facta Senatorum iniuste conatur rumpere.

*Statuta sunt iuriformia.*

Dist. 10. Constitutiones & statuta contra Canones & Decreta Præsulorum Romanorum vel bonos mores, nullius sint momenti.

*Statuta non sunt iuriformia.*

Damasus Papa, in suo chronico. Maioribus Religiosorum, quanto plura statuta sui ordinis faciunt, tanto plus regulam confundunt.



In statutis ordinis seu Congregationis Sancti Guillelmi, Aquitaniae ducis, anno Domini 1257. factis, ita legitur. Multa praecipua multas transgressiones facere dignoscuntur: & varietate mandatorum impotabilium, saepius turbantur conscientiae subditorum.

Plutarchus in vita Lycurgi. Charilaus, fratris Lycurgi filius, interrogatus, cur is tam paucas leges posuisset: Quia (inquit) non indigent legibus multis, qui non multo sermone utuntur.

Frater Sebastianus Ammianus, in suo libello, de Christiana institutione, dicit tria Religionem destruere. Nimirum praecipuorum, singularitatem, & amorem temporali-um. De primo (inquit) argumentum habemus in prima Religione, scilicet in paradiso terrestri: ubi tantum duo praecipua data sunt, & tamen contrarium factum est. Saepem enim accidit, quod Praelati tot & tanta praecipientes subditis, salutem potius impediunt quam augeant. Quot enim eis praecipua faciunt, tot laqueos imponunt. Unde accidit, quod quando non strangulat vnus laqueus, strangulet alius: & quem diabolus non capit vno, capiat alio.

Seneca lib. 7. de beneficiis, cap. 1. Demetrius Cynicus dicere solet, plus prodesse, si pauca praecipua sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi, & in vfu sint: quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum

Ex prologo secundae partis statutorum ordinis Carthusiensis. Hortamur successores,



vt ab onerosa & periculosa statutorum & coordinationum vltiori non necessaria multiplicatione cessent.

*Statuta  
mutari pos-  
sunt.*

Tomo 3. Concil. cap. 50. Concilij Lateranensis, sub Innocentio Papa 3. anno Domini 1215. celebrati. Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana: praesertim cum virgens necessitas, vel euidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his quae in veteri testamento statuerat, nonnulla mutauit in nouo. Citatur in de affin. & consang. Non debet.

Ester. 16. Rex Assuerns ait. Non putare debetis, si diuersa iubemus, ex animi nostri vniuersitate: sed pro qualitate & necessitate temporum, vt Reipub. poscit utilitas, ferentiam.

*lib. 20. c. 1.*

Sextus Caecilius apud Gellium Phauonius ait. Non ignoras legum oportunitates & medelas, pro temporum moribus, & pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatibus praesentium rationibus, proque vitiis quibus medendum est feruoribus, mutari atque flecti, neque vno statu consistere: quin, vt facies caeli & maris ita rerum atque fortunae tempestatibus varientur.

*Statuta non  
facile &  
crebro mu-  
tari debent.*

Radulphus Diaconus Tungrensis, lib. de canonum obseruantia, propositione 14. Nihil mutatio vitiosa videtur nec stabilibus religiosis congruere: qui facilia & breuia legi debent.



Tomo. 3. Concil. In præfatione Concilij Meldensis, sub Carolo Iuniore anno Domini 845. celebrati. Quæ bene inuenta & semel statuta sunt, observatione indigent (vt ex vestigijs præcedentium didicimus) non retractatione: nec solum studendum est noua cudere, sed & vetera conseruare.

Ulpianus l. In Rebus ff. de constit. In Rebus nouis constituendis, euidenter esse utilitas debet: vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est.

Liuius lib. 34. Nihil motum ex antiquo probabile est. Veteribus, nisi quæ vsus euidenter arguit, magis stari malunt.

Thucidides lib. 1. Ciuitati tranquillæ optimum non immutari statuta.

Fr. Hector Pintus, in cap. 33. Threnorum Hieremiæ, super illud. Sedebit solitarius & timebit. Quemadmodum corpora nostra solent in morbis incidere autumno, ob temporis mutationem: sic Respublica solet morum nouitate offendi ac lædi.

Liuius libr. 9. Vbi duæ contrariæ leges sunt, semper antiquæ abrogat noua. Et hoc dixit Sempronius, Tribunus plebis, in oratione quam habuit contra Appium Claudium censorem: qui tanti officij cupiditate inescatus, censuram quinquennalem, secundum prisca tempora gerere volebat: cum hanc longo multo post tempore Mamercus Æmilius dictator, intra sex mensium & anni coegisset spatium. Vnde & ab auctore, hæc

*Noua tamen statuta derogant prioribus.*



lex Emilia dicta est.

*Statuta nō  
discunt ēdā  
ā subditis.*

D. Bernardus, tractatu de præcepto & dispensatione, cap. 13. Imperfecti cordis & infirmæ prorsus voluntatis iudicium est statuto senio um studiosius discutere, hæere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibus rationē, & male suspicari de omni præcepto cuius causa latuerit: nec vnquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod fore libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstrauerit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis immo nimis molesta huiuscemodi obedientia.

